

diocesis S. Rituum Congregationi exposuerunt, cogi ab ordinario sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, reservata sibi absolutione, ad immutandam horam matutinarum recitandarum contra dispositionem constitutionum ecclesiae et ad silentium omnimodo servandum tum in choro tum in sacristia.

Quamobrem supplicarunt hujusmodi poenam moderari et in observantia constitutionum reintegrari. Et S. Congregatio censuit, praevia suspensione censurarum Episcopum audiri; verius tamen oretenus procuratori Episcopi aperiri, ut omnino revocet censuras et mitius agat quoad silentium; quoad matutinas mandet servari constitutiones ecclesiae quatenus ritui non adversas.

Die 24. Junii 1660.

(Anal. J. P. 1863 p. 366.)

2) In choro et ecclesia.

Vd.: *SS. Sac. Euch.* (ador. decr. Pragense t. III. p. 490); *Sacrista* (munus); *Laici* (quomodo se gerant); *Munditia Eccles.*

Clemens PP. IV. pro Eccles. Aniciens.

Omnes tam Canonici quam Clerici quinquaginta praedictae ecclesiae in choro, dum divina officia celebrabuntur, in stando et sedendo honeste se habeant, non ridendo, non loquendo, non confabulando, sed debitum silentium continendo, gestum congruum, faciem et corpus honestum ostendant.

Extra chorum intra ecclesiam nullus clamare, rixari seu invercunde ad invicem vel cum mulieribus seu aliis inhonestis personis fabulari audeat nec per viam currere seu currendo transire.

Stabularii seu albergarii ejusdem loci nihil amodo percipiant in his, quae altaribus ecclesiae offerunt peregrini, nec ad ipsa altaria eos adducant nec aliqui alii ipsos peregrinos clamando

maxime inducant seu attrahant ad ipsius ecclesiae altaria vel capellas.

Dat. Viterbii IV. Nonas Junii 1265.
(Bull. r. t. IX. p. 76. Ed. Luxbg.)

Innocentii PP. VII. Approb. regulae sfr. et sor. de Poenit. Ord. s. Dominici.

In Ecclesiis dum celebrantur missae vel cantatur divinum Officium seu actualiter ibi proponitur verbum Dei, omnes silentium servare studeant et orationi ac divino officio diligenter intendant, nisi ex aliqua speciali et occurrente necessitate aliquid silenter loquantur. Die 26. Junii 1405.

(Bull. r. t. IV. p. 639. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Idem decr. Martini PP. V. ad fratres et soror. tertii Ord. Servorum B. V. M. Die 16. Mart. 1424.

(*Ibid.* p. 705.)

S. Agathae.

Episcopus s. Agathae certioravit hanc S. Rituum Congregationem de excessu quodam, qui accidit in sua Cathedrali, celebrante sacerdote, qui propter annorum multorum numerum et strepitum puerorum prope altare, oblitus de elevatione SSmi Sacramenti et Sanguinis et forsitan etiam de consecratione sequuta, denuo elevavit corpus et sanguinem et, quod Deus avertat, iterato etiam consecravit, quod tamen ipse sacerdos haec patrasse non affirmat. Et S. Congregatio mandavit scribi Episcopo, qui vocari faciat dictum sacerdotem, illumque accerrime corrigat et suggerat illi dictum scripturae: maledictus homo qui fecerit opus Dei negligenter, et ipse Episcopus curet removere ab ecclesia sua indecentiam, strepitus et rumores, ne distraherentur celebrantes et orantes, quum domus Dei domus orationis sit.

Die 30. Septembris 1628.

(Anal. J. P. 1863 p. 206.)

(Ex statutis FFr. B. V. M. de mercede redempt. captivorum.)

Innocentius XII.

Quoniam domus Domini domus orationis vocatur eamque idcirco deceat sanctitudo, enixe super hoc ministerii ejus invigilare praecipimus, ne colloquia habeantur in illa, praesertim temporibus celebrationis officiorum. Visitationes vero feminarum et alloquia politica quantumvis necessaria et honesta, etiam ad vesperam prohibemus in ecclesia, nisi cum expressa licentia Praelati. Quod autem cum facultate praedicta ita fieri decenter expediat, totis tamen viribus interdiciamus ne in locis confessionibus designatis hujusmodi misceantur alloquia, ne tam sancta, sed illa etiam decentibus erubescant.

Die 2. Febr. 1692.

(Bull. r. t. XI. p. 88. Ed. Luxbg.)

3) Intra processionem.

Eugenius IV. ad Clerum Urbis.

Nullus, dum processionaliter incedit, cum aliquo confabulare praesumat, sed cantet aut orationibus a seipso, si cantare nescit, insistat, sub poena.

(Bull. r. t. V. p. 7. Ed. Aug. Taur. 1860.)

S. SILVESTER.

Cum festum dedicationis Ecclesiae PP. Minorum de Villa Franca semper occurreret cum festo s. Silvestri et officium dicti sancti ad unum sequentem transferri minime valeat, fiat festum dedicationis cum com. s. Silvestri. N. 4166 die 23. Januarii 1745.

S. SIMEON PROPH.

(Officium.)

Congregationis Cassinensis.

Supplicatum fuit pro parte mona-

sterii ssmae Trinitatis Cavensis ordinis s. Benedicti Congregationis Cassinensis pro concessione sibi facultatis recitandi in officio s. Simeonis prophetae lectiones proprias et alia desumpta ex festo Purificationis B. M. V. Et S. Rituum Congregatio, ad relationem Emmi Cardinalis de Norfolkia, respondit: Negative.

Die 20. Septembris 1681.

(Anal. J. P. 1865 p. 1237 n. 2174.)

B. SIMON DE LYPNICA.

(Off. et Missa.)

Cracovien.

Piis precibus Poloniae regis SSmo exhibitis per Emmum Barberinum nomine majestatis suae, quibus enixe petiit, ut Sanctitas sua dignaretur indulgere in toto regno Poloniae recitari posse ab omnibus christifidelibus utriusque sexus, tam saecularibus quam regularibus officium et missam de b. Simone de Lypnica sacerdote ordinis s. Francisci de observantia et remissis a Sanctitate sua ad S. Rituum Congregationem eadem ad relationem Emmi Pampili, per plures vices omnibus mature perpensis, audito in voce et in scriptis Rmo Dno fidei promotore, censuit, si SSmo placuerit, petitam gratiam concedi posse cum officio et missa de communi confessorum non pontificum sub ritu semiduplici; attento quod praedicta causa non sit comprehensa in decreto Urbani VIII. de anno 1628; et ita decrevit die 4. Septembris 1688. Et facta de praedictis SSmo relatione Sanctitas sua benigne annuit die 17. Januarii 1689.

(Anal. J. P. 1865 pag. 1302 n. 2376.)

SS. SIMON ET JUDA APP.

Si festum omnium SS. occurrat vel in Sabbato vel in dominica vel in fer.

II. post festum ss. App. Simonis et Judae, eo tantum casu in iis locis, in quibus iidem ss. Apostoli sunt Patroni principales civitatis, oppidi vel pagi, eorum festum transferendum esse cum officio et missa ad dominicam praecedentem cum vigilia in Sabbato etiam praecedenti. N. 4444 ad 6 die 11. Septembris 1790.

De secreta missae vigiliae vd.: *Missale* (correctio, D. n. 43.)

SIMPLEX.

1) Commemoratio.

Vd.: *Festum* (mutatio decr. n. 4508); *Com-patronus* (commem. decr. n. 4508); *Oratio imperata* (decr. n. 4560 nota); *Semidupl.* (commem. decr. n. 4378); *Orationes in missa sol.* (decr. n. 4879.)

Ad dub.: Utrum in dupl. 2. cl. locum habeat oratio Sancti simplicis, cujus ad laudes fit commemoratio, in omnibus missis cantatis cum s. Ministris vel sine ipsis aut omittenda solummodo sit in solempni missa conventuali? S. C. resp.: In missa quocumque modo cantata de festo dupl. 2. cl. omittitur commemoratio Simplicis, quae juxta rubricam fit in missis priv. tantum. N. 4507 ad 4 die 8. Aprilis 1808.

In missis non conventualibus, quae cantantur in diebus 2. cl. sine Diacono et Subdiacono, omitti debet commemoratio Simplicis. N. 4526 ad 10 die 7. Septembris 1816.

Ad dub.: An commemoratio Sancti simplicis occurrentis in dupl. 2. cl. omitti debeat in missa convent. sine cantu sed lecta a communitate religiosa? S. C. resp.: Affirmative. N. 4393 ad 18 die 27. Martii 1779.

Ad dub.: An in Missa conventuali plana omittenda sit in duplicibus II. cl. commemoratio Simplicis, quando ratione solemnitatis altera cantatur?

Emmi atque Rmi PP... rescribendum censuerunt:

„Negative.“

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. N. 4777 ad 8 die 12. Martii 1836.

2) Lectio.

De lectione nona alicujus Simplicis.

Vd.: *Lectio nona.*

3) Mutatio.

Vd.: *Festum* (mutatio decr. n. 4508.)

4) Perpetuo impeditum.

Cf.: *Translatio festi perpetuo transl.*

Cum in quibusdam ecclesiis quaedam festa simplicia sint perpetuo impedita, ita ut de illis ne quidem commemoratio perpetuo fieri possit, supplicatur: num loci Ordinarius possit assignare certam diem aliam illis festis impeditis et utrum consuetudo antiqua et immemorabilis dicendi officium de aliquo Sancto sufficiat ad licite continuandum et recitandum dictum officium? S. C. resp.: Quoad primam partem negative, quoad secundam affirmative, dummodo immemorabile respiciat festum in rom. martyrologio descriptum; sin minus, negative. N. 4181 ad 5 die 7. Maii 1746.

Si festum simplex perpetuo impediatur ob occurrentiam duplicis 1. cl., non esse ad aliam diem transferendum juxta rubricas. N. 4209 die 18. Julii 1750.

Vd.: *Simplex* (non transf.)

5) Translatio.

Quum usque ab anno 1742 17. Kal. Oct. concessum fuerit, ut aliqua officia ritus simp. occurrentia in duplicibus 1. cl. cum oct., in Kal. Patavino transferantur ad primas dies liberar, quaeritur: an standam sit me-

moratae concessioni, etsi pro aliis eccl. posterioribus temporibus sanctum fuerit a S. R. C., ut festum simplex quod perpetuo impeditur ob ritum dupl. 1. cl., non sit ad aliam diem transferendum? Emmi vero ac Rmi PP. s. tuendis Ritibus praepositi... rescribendum censuerunt:

Affirmative juxta indultum anni 1742.

Atque ita rescribendum ac servandum mandarunt. N. 5000 die 7. Dec. 1844.

6) Non transfertur.

Nullum adest decretum de transferendis festis simplicibus a dupl. 1. cl. perpetuo impeditis. Quare apocryphum est, quod circumferri asseritur, decretum. N. 4299 ad 3 die 3. Mart. 1761.

Vd.: *Simplex* (perpetuo impedit.)

SIMPLIFICATIO FESTORUM.

Vd.: *Officium* (translatio in sequent. annum); *S. Thomas Cantuar.* (lect. I. n. etc.)

Granaten.

Votum Magistri Apostol. Caeremoniarum.

Quae pietas in decore domus Dei promovendo, quae diligentia in pastoralis munere rite explendo, qui zelus, qui amor pro ecclesiasticis functionibus juxta ordinem peragendis effulgeat in praeclarissimo Viro Salvatore de Reyes Archiepiscopo Granatensi, Vos probe nostis, Emmi et Rmi Patres, ex quo duobus circiter abhinc annis, eo instante, plura circa missam in anniversario tum electionis et consecrationis Episcopi, tum creationis et coronationis Romani Pontificis celebrandam, per responsiones septem dubiis ab eo propositis, decreto lato die 14. Augusti 1858, sapienter statuitis. Nunc autem eodem zelo ductus iterum ad hanc S. Congr. accedit, alia, quae ad divinorum laudum recitationem et uniformitatem spectant,

imploraturus; cum enim ipsi (ut in supplici libello ingenue significat) „cordi maxime sit, quod in divinis laudibus persolvendis omnia rite et secundum ordinem fiant, ad hanc S. Congregationem, qua par est reverentia, orator accedit, quo sequentium dubiorum solutionem et postulorum concessionem obtineat.“

Et quoniam per honorificum istud munus demandatum mihi fuerit, ut super iis, quae praeclarissimus Granatensis Archiepiscopus in supplici libello exposuit, meam aperiam sententiam, sic fungar munere meo ut dubiis et postulatis ex eodem supplici libello depromptis, per vices propositis, quae pro singulis opportuna mihi visa fuerint, maxima, qua par est, reverentia subjiciam.

Postulatum I.

Cum plura in Hispania ex apostolica concessionem celebrentur festa cum octava, scilicet s. Vincentii Martyris, s. Ildephonsi Archiepiscopi Toletani, s. Juliani Episcopi Conchensis, s. Ferdinandi Hispaniarum Regis, s. Elisabeth viduae Reginae Portugalliae et s. Angeli Hisp. Custodis, ex hac octavarum multiplicatione simulque ex aliorum festorum, tam pro ecclesia universalis quam pro hac Hispaniarum novissimis concessionibus fit, ut frequenter desint in anno dies pro assignandis festis accidentaliter translatis, quae ad ritum simplicem redigi coguntur; orator ergo postulat facultatem, ut memoratas octavas in suo dioecetano perpetuo calendario supprimere possit.

Postulatum II.

Ob eandem pariter rationem potestatem sibi fieri precatur ad supprimenda quaedam festa secundaria, quae in Hispania generaliter celebrantur, conversionis nempe s. Augustini 5. Maii,

transverberationis s. Theresiae 27. Augusti et commemorationis s. Juliani Episcopi 5. Septembris, simpliciter hujusmodi festis et facta de ipsis commemoratione in utrisque vesperis, laudibus et missa et cum nona lectione historica ad matutinum, juxta facultatem ab hac. S. Congr. Episcopo Santanderien. per decretum 16. Januarii 1793 benigne concessam.

Postulatum III.

Cum ex hac octavarum et festorum suppressione calendarium perpetuum dioecesanum necessariam pati debeat mutationem, potestatem pariter sibi fieri postulat orator, quae praedicto Episcopo facta fuit ad omnimodam ejusdem calendarii instaurationem deveniendi, ita ut nonnulla officia jam fixe quibusdam diebus assignata, e loco suo movere diebusque juxta rubricas vacantibus rite et recte perpetuo assignare possit et valeat.

Resp.: Affinia sunt inter se tria enunciata postulata, quibus Rmus Archiepiscopus Granaten. exposcit facultatem: 1. supprimendi octavas nonnullorum festorum, quae cum octava in Hispania, ex apostolica concessione, celebrantur; 2. supprimendi item nonnulla ex iis festis, quae secundaria dicuntur, cum eorumdem simplificatione; 3. instaurandi novam calendarii dioecesanum rationem. Has ipsas facultates jam alter Episcopus Hispanus, scilicet Santanderien., iisdem de causis petiit obtinuitque ab hac S. Congr. per decretum diei 16. Januarii 1793. Neque id dissimulat Archiep. Granaten., qui petitiones suas atque eam praesertim deveniendi ad omnimodo calendarii instaurationem ab exemplo ejusdem Episcopi Santanderien. similibus fere verbis expressit concinnavitque. Imo vero facultates, pro quibus reverenter instat, iisdem et potioribus fortasse deductis rationum

momentis a benignitate Vestra se accepturum esse confidit. Diximus, *potioribus deductis rationum momentis*, quia cum ab eo tempore, scilicet ab anno 1793, plurimum excreverit numerus novissimorum festorum sive pro particularibus Hispaniarum ecclesiis, inde factum est, quemadmodum opportune monet Archiep. orator, ut praefatae tum octavarum tum festorum suppressionis magis hodie urgeat necessitas, qua obventa, per novam calendarii efformationem quaelibet officia suis in posterum respective diebus juxta rubricas restituantur. Probe nostis, Emmi et Rmi Patres, quantum liturgicarum rerum amatores et praeclearissimi Liturgiae auctores de hac octavarum et festorum multiplicitate conquerantur, dolentes maxime in eo, quod exinde antiquus ecclesiae spiritus in horarum canonicarum recitatione sensim evanescat. Gavantus sect. 3. cap. 3. n. 5. se vehementer angit fatetur, quod per praedictam octavarum et festorum multipliciter omittantur officia praesertim feriarum quadragesimae; a quibus antiqui removebant festa sanctorum et a quibus in recognitione breviarii octavae sunt exclusae. Rudolphus in suo insigni libro de observantia canonum eandem perturbationem acerrime insectatur, ea potissimum ratione, quod tollitur continuatio et recitatio totius psalterii *Guyetus* lib. 1. cap. 1. qu. 19. „carpit festorum pruriginem, quae multorum e clero tam saecularium quam regularium animos ita pervasit, ut nihil plus optent, nihil fere vehementius ambient, quam abactis procul feriarum officiis continuis ac prope quotidianis festis indulgere, opinantes sibi et religioni magnum augmentum et ecclesiae suae vel ordini splendorem accivisse si corrigatis undique opportune importune sanctis, consertum et coagmentatum atque superfluens calendarium

propriam compegerint, quod profecto a prisco et legitimo ecclesiae sensu alienum est.“ Quid autem diceret, si compertum ei fuisset, ob eam festorum multitudinem non solum officia feriarum abigi, sed frequenter deesse in anno diem pro assignandis festis, ut habetur in postulato I., accidentaliter translatis, quae ad ritum simplicem redigi coguntur. Immoderatae huic festorum prurigini pro futuris temporibus prospicere ac mederi Vestrae erit sapientiae et auctoritatis, EE. et RR. PP. Interim pro Ecclesia granatensi prona atque opportuna vobis se praebet occasio, saltem ex parte, si Archiepiscopo oratori petitas in precibus facultates benigne concedatis iisdem verbis quibus Episcopo santanderiensi per citatum rescriptum 16. Januarii 1793 concessae fuerunt, videlicet: „Ad 1., 2. et 3: S. Rituum Congregatio facultatem tribuit Rmo Archiepiscopo granaten. reformandi calendarium juxta petita, pro suo arbitrio et prudentia, ita tamen ut de festis secundariis, quae supprimuntur, fiat commemoratio in utrisque vesperis, laudibus et missa et quoad omnia serventur rubricae.

Die 11. Augusti S. R. C. ad supra-scripta postulata et dubia respondit:

Ad I. II. et III.: Pro gratia et novum calendarium subjiciatur examini S. Rituum Congregationis.

(Anal. J. P. 1861 p. 323 et 350.)

Ad dub. I.: An officia etiam duplicia, quae incidunt in dominicis feriisque privilegiatis quaeve ad anni terminum locum habere nequeunt, quia dies liberi pro eorum recitatione non suppetunt, reponi possint in diebus ritus semiduplicis, adeo ut de semiduplicis reductis ad modum simplicis fiat commemoratio in utrisque vesperis, laudibus et missa cum IX. lectione historica? et quatenus negative;

II.: An id saltem permitti potest pro iis ecclesiis, quarum dedicationis anniversarium incidens in dominica officium duplex etiam secundae classis excludit in anniversario ipso et in die octava, ne Parochi aut Rectores, ob inevitabiles calendarii dioecesanum immutationes praegraventur onere variationes ipsa non semper rubricis conformes compilandi?

S. C. resp. ad I: Negative juxta alias decreta et de officiis, quae supersunt, faciendam esse commemorationem in die propria etiam si sint ritus duplicis.

Ad II.: Negative sed ad calendarii directorem spectare particulares has ditiones pro singulis ecclesiis.

Die 22. Julii 1848.

(Corresp. de Rome 1850. Ed. II. pag. 79.)

S. SINDON.

(Officium.)

Augustana.

S. Rituum Congreg. ad pias preces serenissimi Principis Maximiliani Philippi ex ducibus Bavariae, comitis palatini Rheni, per D. abb. Pompejum de Scarlattis serenissimi electoris utriusque Bavariae ducis in romana curia administrum porrectas, referente Emmo de Alteriis, benigne concessit, ut in Ecclesia parochiali oppidi de Tirkeim Augustanae dioecesis ejusque territorio ubi praefatus serenissimus dux Maximilianus Philippus construi fecit insignem capellam in honorem s. Sindonis, recitari possit officium alias approbatum pro civitate Taurinen. sub ritu duplicis majoris singulis annis die 21. mensis Julii. Die 28. Novembris 1682.

(Anal. J. P. 1865 p. 1249, n. 2218.)

Cum a Benedicto PP. XIII. concessum fuerit universo dominio Regis

Sardiniae indultum recitandi officium s. Sindonis in qualibet fer. 6. a festo dupl. vel semidupl. non impedita et specialiter in quadrag., ad tollendas dissensiones Magister caeremon. Fos-sanen. supplicavit, quatenus benigne declarari dignaretur: an dictum officium recitari debeat solum in quadrag. vel indistincte in aliis feriis adventus, vigiliarum, quatuor temp.? S. C. resp.: Suffragari indultum pro VI. feriis quadragesimae tantum. N. 4115 die 8. Julii 1741.

SINENSES.

Vd.: *Ritus Sinarum.*

SODALITAS.

Cf.: *Confraternitas; Oratorium; Titularis capellar. publ.*

SOLEMNITAS.

1) SS. Corp. Chr.

Vd.: *Processio SS. Corp. Chr.; Festum ss. Corp. Chr.*

2) Initium.

Festivitatum exordia a primis vesperis et respective a missa, quae canitur in Sabbato sancto desumenda esse prosequitur *Hurtad.*: *Incipiunt autem singuli dies festivi a primis vesperis quia inde incipiunt eorum solemnitates quoad celebrationem exceptis festivitibus Resurrectionis et Pentecostes quae incipiunt a missa vigiliae, quia in earum vigiliis missa per anticipationem fit de ipsis festivitibus; finiuntur autem festivitates singulorum dierum in completorio inclusive. Diana Concil. tom. 5. tract. 4. n. 3. ibi: Notandum haec festa accipienda esse a primis vesperis juxta morem quo ecclesia solet festivitates inchoare. Adde festum Paschatis posse sumi a Sabbato a Gloria in Excelsis sacri diei Sabbati, quia ecclesia censetur*

tunc inchoare festum Resurrectionis, non tamen comprehenduntur octavae.

(Ex resol. S. C. C. diei 9. Julii 1785. *Romana.*)

Ecclesiasticas celebritates incipit dies a praecedentibus vesperis ex doctrina *divi Thomae*, quam sequuntur *Azor instit. moral. lib. 10. cap. 9. qu. 5. tom. 1., Francol. de hor. canon. cap. 19. n. 1., Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. sub n. 18.*; hoc tamen limitatur in Cathedralibus et Collegiatis, in quibus praescribit *Clement. I. de celebr. miss., ut debitis horis psallatur seu circa mediam noctem, secundum Vega in summ. verb. horae n. 1. et Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. n. 19.*

(Ex resol. S. C. C. diei 23. Januarii 1790. *Abulen.*)

Rigida veterum temperata disciplina translata est matutini recitatio a media nocte ad auroram teste *Benedicto XIV. instit. 107. §. 4. sub n. 10.*, facileque immutari non debet hujusmodi institutio in Cathedralibus et Collegiatis, in quibus ex *Clement. I. de celebrat. miss.* necesse est, ut *debitis horis psallatur*, ut recitetur nempe matutinum mane diei propriae, non autem sero praecedenti post vespas et completorium, ad monitum *Braschii in prompt. Synod. cap. 86. n. 15.* Ubi justa tamen et rationabilis concurrat causa, opportunior ex auctoritate S. Congregationis fieri potest variatio, ut prosequitur *Brasch. loc. cit. n. 18* ac prae caeteris tradunt *Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. n. 20. et Benedict. XIV. instit. 107. §. 4. n. 22.*

(Ex resol. S. C. C. diei 19. Junii 1790. *Firmana.*)

Dies quoad divinum officium aliasque ecclesiasticas celebritates a praecedentibus incipit vesperis, *Azor instit. moral. lib. 10. cap. 9. quaest. 5. tom. 1., Francol. de hor. canon. cap. 19.*

tom. 1., *Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. sub n. 18.*

(Ex resol. S. C. C. diei 10. Maii 1794. *Parmen.*)

3) Paschalis et Nativit. Dom.

Sacerdos Joannes Fornici, possessor canonicatus Amidei in collegiata Ecclesia s. Eustachii de urbe, ex verbis illis fundatoris: *Quanto alle funzioni, ed obblighi del Coro, voglio, che il medesimo Canonico ne sia esente, e soltanto possa obbligarsi ad intervenire nelle solemnita del SS. Natale, di Pasqua, e di s. Eustachio, sex in Congregatione diei 9. Julii 1784 disputavit dubia. Secundum, de quo agitur, ita erat conceptum: An sub nomine solemnitatum ss. Natalis et Paschatis comprehendantur illi tres et respective duo dies, qui primum consequuntur et interessentia incipere debeat a primis vesperis solemnitatum in testamento praescriptarum et Sabbato sancto? Ac EE. vestrae rescripserunt: *Affirmative ad primam partem quoad duos dies consequentes festum Paschatis, quo vero ad dies consequentes festum Natalis, negative ad primam partem, et quoad secundam partem affirmative.* Huic igitur acquiescens rescripto in ejus declarationem postulat Canonico, num priorum vesperarum nomine veniat Sabbati s. missa et integrum etiam illius diei servitium?*

Ex ore Emmi Diaconi de Alteriis Capitulum censet, cogendum non esse oratorem ad interessendum sacris functionibus Sabbati sancti, quae nil commune habent cum festo Paschali. Haec autem Emmus ipse Diaconus habet: *Intimius re perspecta, statuendum videtur, in die Sabbati sancti interessentiam incipere debere vel ab initio missae solemnissimae vigiliae, quae per anticipationem de Paschatis festivitate*

celebratur, prout tradit Hurtad. de interdict. differ. 7. n. 24., ibi: „Incipiunt singuli dies festivi a primis vesperis, quia inde incipiunt eorum solemnitates quoad celebrationem, exceptis festivitibus Resurrectionis et Pentecostis, quae incipiunt a missa vigiliae, quia in earum vigiliis missa per anticipationem fit de ipsis festivitibus“; vel saltem a Gloria in excelsis, ejusdem missae solemnissimae, quia tunc Ecclesia festum Resurrectionis inchoat gaudiumque solemnissimae per sonitum tintinnabulorum evulgat, quemadmodum expendit Diana Concil. tom. 5. tract. 4. n. 3. Atque hinc notat quod: in alterutro ex praemissis interessentiae actibus submotae remanent populi admiratio atque etiam obrectatio, ubi Canonico ejusque successores ad chorum accederent dum finem habet missae solemnissimae celebratio; ac vicissim satisfactum videtur testatoris voluntati, quae interessentiam Canonico praescripsit nella solemnita del SS. Natale, di Pasqua etc., quae quidem verba latiore exigunt interpretationem.

Praeter missam solemnem aliae plures in Sabbato sancto celebrantur functiones a sequenti Paschatis solemnitate distinctae, ut notum prospectumque est et observat *Benedictus XIV. de fest. D. N. Jesu Christi lib. 1. cap. 8. n. 1., ibi: Hoc die (Sabbati sancti) sacram illam et mysterium plenam Christi quietem in sepulchro ejusque descensum ad inferos seu statum illum Jesu Christi, quamdiu Anima a corpore fuit sejuncta, recolat Ecclesia. Sed ex ea, quae viget disciplina, sacrae complures aliae hoc Sabbato peraguntur caeremoniae, quae Resurrectionem domini respiciunt et ipsa missa hac die celebratur de Resurrectione. Resumpto igitur folio diei 9. Julii 1785 deliberare dignentur Emi Patres:*